

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann Ulricus Zander

**Disputatio Theologica De Iustificatione Considerandam proponens Quaestionem:
quae sit causa iustificationis nostrae coram Deo formalis**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739722816>

Druck Freier  Zugang



Vest. : N. Lander

J. Cothmann fa.

R. U. theol. 1631.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
IUSTIFICATIONE
Considerandam proponens Quæstio-
nem : quæ sit causa justificationis no-
stræ coram Deo formalis.

in qua
Jehova Trinuno auxiliante
PRÆSIDE
JOHANNE COTHMANNO
S. S. Theologiæ Licentiato &
professore publico.

RESPONDEBIT
ULRICUS ZANDER
Dobbertinensis Megapoli-
tanus.

in Auditorio Majori 29. Octob.



ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXI.

EXERCITIUM THEOLOGICUM

Illusterrimis, Reverendissimo, ac Celsissimis
principibus ac Dominis.

DN. ADOLPHO FRIDERICO



DN. IOHANNI ALBERTO
fratribus, Ducibus, Megapolitanis,
coadjutori Episcopæ Raceburgensis, prin-
cipibus vandalorum, comitibus
Suerinenibus,

terrarum Rostochij & Stargardiae Dominis,
Dominis meis clementissimis,

Exercitium hoc Theologicum in humi-
lime subjectionis testimonium

D. D. D.

ULRICUS ZANDER
Dobbertinensis Megapolitanus.





Rom. 3. v. 28.

Ἄνθεμος τῷ πάτερι δικαιοσύνῃ ἀνθεμόντεις
ἔργων νόμου

proemium

Negalander noster *Lutherus* prudomo commentario Epistolæ ad Galat. præmisso, non minus verè quam nervosè ac Theologicè inquit: Doctrina justificationis nunquam satis tractari & inculcari potest. Ea jacente & pereunte, jacet & perit simul tota cognitio veritatis. Ea verò floriente, florent omnia bona, religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium statuum & rerum. Idem Luth. allegato commentario. p. 28. in eandem ferme sententiam ait: jacente articulo justificationis jacent omnia. Itaq; summe necessarium est, ut eum perpetuo inculcemos & acuamus, cum sit, ut p. 19. loquitur unicum præsidium nostrum non solum contra omnes vires & dolos hominum, sed etiam contra portas inferorum. Ex quibus viri Dei verbis articuli hujus cùm maxima ac nunquam satis deprædicanda utilitas, tūm quoq; considerandi eundem sāpius, necessitas elucet. Ut non immerito cum B. Chem. in Exam. Concil. Trident. dicamus. p. 128. Unicq; locus justificationis rectè explicatq; & ita intellectq;, sicut in doctrina Evangelij patetfactq; est, assert necessariam & uberrimam consolatiōnem pijs conscientijs, illustrat & amplificat gloriam filij

A 2

Dei,

Dei, redemptoris & mediatoris nostri. Contra vero si
locus hic peregrinis opinionibus adulteretur, obscu-
rat gloriam & beneficia Christi, & eripit afflictis con-
scientijs necessarias consolations, quæ in Christo
nobis propositæ sunt. Hæc Chem. licet ergo sæpius
articulus hic in Ecclesiâ Dei repetatur, adeo ut crebra
illius tractatio, nauseam alicui creet ac supervacanea
esse videatur; attamen valeat hic tritum illud Senecæ :
nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis dicitur. Qua-
de causa, assistente divinâ gratia unicam hac vice Quæ-
stionem nucleus totius articuli complectentem placi-
do examini subiiciemus. Rogamus vero Deum Trinu-
num, justificationis nostræ fontem unicum, ut favore &
gratia sua clementer nobis adsistere dignetur. Amen.

Quæstio.

Quid vocabula justificare & justitiæ in hoc arduo
& sublimi religionis nostræ negotio denotent?
Sive, quod. eodem. recidit : Quænam sit causa
formalis nostræ, coram divina & tremenda Dei
majestate, justificationis?

I. Magni, imò maximi Quæstio hæc præsens mo-
menti est, adeo quidem, ut rectè illa explicata, justifi-
cationis nostræ coram Deo articulo maxima lux afful-
geat. Ilnde cum Chem. p. m. ex concil. Trident. Exam.
rectè dicimus: genuina proprietas verbi justificare, pu-
ritatem doctrinæ justificationis & à pharisaico fermen-
to & ab Epicuræis opinionibus conservat & defendit.
Et tota doctrina justificationis non potest simplicius,
rectius & commodius intelligi & ad serium usum in
Exercitijs pænitentiæ & fidei accommodari, quam ex
vera.

vera observatione judicialis significationis verbi justificari.

2. Nam affirmantē eodem *Chem.* allegato loco p. 131. Andradius in eo supra modum sedulus est, ut conquisitis, vel potius contortis scripturæ locis probet justificandi verbum non significare in hac præsenti materia à peccatis aliquem gratuitò absolvere, sive peccata gratis remittere & condonare; sed mentem justitiâ inhærente exornare. Qua assertione ceu ariete, opinione Andradij validissimo, totam justitiæ Christi per fidem nobis imputatæ & appropriatæ structuram, se non opugnaturum solum; sed & validè planèq; expugnatrum satis audacter præsumit.

3. Initio autem observandum, ad tela adversariorum eò felicius profliganda, Quæstionis hujus cardinem non in eo volvi, an justificandi justitiæq; voces in nullis planè scripturæ locis justitiam infundere denotent, & pro justitia actu nobis inhærentē nullibi sumantur; Id enim non asserimus unquam, nec dum asserimus, nec asserturi posthac. Sed, hic propriè Quæstionis hujus status est, an verbum justificare, in illis scripturæ locis, quibus justificationis nostræ coram Deo, articulus ex professo tractatur, justitiam inhærentem, & infusam aliquam qualitatem designet.

4. Id est ut aliquautò explicatius cum *Chem.*, in *Exam.* p. 130. dicamus: Hæc principalis Quæstio est, hoc *νεκρόν*, quid scilicet id sit, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, quid iudicio Dei opponi debeat & possit, ne juxta rigidam legis sententiam damnemur. quid fides apprehendere & ad-

A 3 ferre,

ferre, quo niti debeat, quando vult cum Deo agere,
ut accipiat remissionem peccatorum, quid interveniat,
propter quod Deus peccatori, qui promeritus est
iram & æternam damnationem reddatur placatus &
propitius: quid conscientia statuere debeat illud esse,
propter quod donetur nobis adoptio in quo collocari
possit fiducia, ut acceptemur ad vitam æternam &c.
An illud sit satisfactio, obedientia & meritum filij Dei
mediatoris: an vero inchoata in nobis novitas dilectio
& reliquæ virtutes in nobis. Hactenus Chemnit..

5. *Costerus* Jesuita suam, ut & complicum sententiam exponens in *Enchirid.* p. 250. ait: Causa formalis justificationis est qualitas quæ in justificatione accipitur, nempe justitia ipsa & gratia: sic enim per justitiam internam homo est justus, sicut per sapientiam sapiens, per albedinem albus, per calorem calidus, per munditiam mundus. Et. *Bellar. Libr. 2, de Justificat. cap. 3.* prolixè sententiam hanc confirmare annititur, scil. justitiam nostram, qua coram Deo justificemur esse inhærentem.

6. Pro confirmanda verò sententia orthodoxa; quæ est, voces justificare & justitiæ, in hanc præsentि de justificatione hominis peccatoris coram Deo, materia, non notare justitiam infundere, aut animum inhærente aliqua qualitate exornare, sed gratuitò aliquem à peccatis absolvere, delicta propter Christi mediatoris justitiam nobis acquisitam, ac verâ fide applicatam non imputare, sed tegere, hæc repetimus immota fundamenta.

7. I. à significatione vocabuli *justificationis forensi.*
Quæ

Quæ vox in præsenti materia significationem obtinet forensem seu judicialem, illa non denotat habitum infusum seu inhærentem aliquam qualitatem. At vox justificare in præsenti materia significationem obtinet forensem seu judicialem. Ergo non denotat habitum infusum aut inhærentem aliquam qualitatem.

8. De majore nulla lis est. Minorem ex scriptura probamus hoc syllogismo. ubi sunt omnia requisita, attributa sive proprietates processus judicialis seu forensis, ibi significatio forensis seu judicialis negari nequit. At in negotio nostræ justificationis coram divinâ maiestate sunt omnia requisita processus judicialis. Ergo.

9. Nam coram supremi judicis Gen. 18. v. 25. tribunali Rom. 14. v. 10. 2. cor. 5. v. 10. Sistitur reus, miser scilicet peccator. Psal. 143. v. 2. quem ob contractum debitum. Matt. 6. v. 12. accusat chirographum Col. 2. v. 14. ac ipsa Lex Mosis Job. 5. v. 45. Rom. 3. v. 20. Ne vero reus debitum negare posset, producitur conscientia propria testis Rom. 2. v. 15. præsto est iudex Job. 5. v. 27. Act. 10. v. 42. & simul adest Advocatus causæ, qui rei partes fideliter agens, eundem contra legis rigorem ac judicis severitatem defendat. 1. Job. 2. v. 1. Rom. 8. v. 34. Absolvitur ob advocati intercessionem reus Eph. 4. v. v. 23. & debitum ipso remittitur Matt. 18. v. 27. unde in judicium condemnationis non venit Job. 5. v. 25. Ex quibus scripturæ locis si quis significationem vocis justificationis, forensem seu judicialem non depræhendit, næ ille quid sit judicium forense, sive quis & qualis sit processus judicialis, quæ ejus requisita & proprietates, vel ignorat: vel nycticoracis instar ad claram lucem cœcutit:

10. 2. En

10. 2. *Ex oppositione Apostolica peccati & justitiae
Dei. 2. Cor. 5. v. 21.* Unde ita argumentamur. Sicut
Christus pro nobis factus est peccatum, ita nos in
Christo efficimur justitia Dei. Hæc major in loco alle-
gato fundatur. Subsumo: Atqui Christus pro nobis
factus est peccatum non per inhæsionem, quasi pecca-
tum Christo verè inhæserit. *Hebr. 4. v. 15.* Sed per ve-
ram & realissimam imputationem *Psal. 40. v. 14.* dum
nostra peccata nobis omnibus inhærentia, nobis ta-
men non imputata *2. Cor. 5. v. 19.* sed in Christum mun-
di totius servatorem *1. Tim. 4. v. 10.* conjecta *Esa. 53. v.
6. 7.* Non quidem fictione aliqua, imaginatione aut nu-
da & inani imputatione, sed ~~πρὸς~~ verè *Esa. 53. v. 4.*
quam verè & realiter ~~ἀληθῶς~~ est servator totius mundi.
Joh. 4. v. 42. Ergò nos in Christo efficimur justitia Dei,
per verissimam & realissimam imputationem, non ve-
rò inhæsionem.

II. Christus ratione sui consideratus erat Dominus
legis *Mar. 2. v. 28.* suo itaq; loco legi satisfacere mini-
mè obligabatur. Factus est autem legi obnoxius, ut
eos, qui sub lege erant redimeret. *Gal. 4. v. 5.* Illam
sufficientissimam ac omnibus numeris absolutissimam
obedientiam legi nostro loco præstitam, Deus nobis
imputat ac pro nostra justitia, (qua alias caremus
Dan. 9. v. 18.) acceptat; quando scil. vera fide & filiali
fiducia, mendicorum instar donum oblatum manu ap-
præhendentium, justitiam illam Christi nobis appro-
priamus vide *Joh. 1. v. 12. Col. 2. v. 6.* quotidie ingemi-
nantes: ò pater cælestis, esto nobis miseris peccatori-
bus misericors, tuiq; filij abundantissimam justitiam &
per-

persolutionem pro toto genere humano praestitam;
nobis imputa, dona, & planè propriam facito & ap-
plicato.

12. *Bellar.* arietem hunc validissimum declinare &
propulsare satagens, justificationem nostram in impu-
tatione justitiae Christi non consistere satis confiden-
ter affirmat *Libr. 2. de Justif. cap. 7.* inquit enim : ad-
versarij nullum hactenus in scripturis locum invenire
potuerunt, ubi legeretur, Christi justitiam nobis im-
putari ad justitiam : vel, nos justos esse per Christi
justitiam nobis imputatam. verum Bellarmine quis tibi
tuiq; similibus in tam gravi & arduo negotio, salutem
nostram æternam concernente, simpliciter affirman-
crederet! Expende nobiscum, omissis affectibus, verba
pauli *Rom. 4. v. 6.* Deus imputat justitiam absq; ope-
ribus. Quænam hæc justitia? respondet Apostolus. *t.*
Cor. 1. v. 30. Christus factus est nobis justitia; est enim
נָתַן צְדָקָה יְהוָה בָּרוּךְ הוּא. *Ier. 23. vers. 6.*

13. Cape ergo disjunctum hoc : Deus nobis, dicen-
te Apostolo, imputat justitiam, aut propriam aut Chri-
sti; tertium enim non datur. Non prius: agit enim A-
postolus de justificatione impij, etiam Bellar. ac com-
plicum confessione justitia propria carentis vide *v. 5.*
allegati capit. Accedit insuper scopus Apostoli ju-
stitiam propriam à justificatione excludentis. vide.
c. 3. v. 27. 28. c. 4. v. 2. 13. c. 11. v. 6. Immotum ergo manet
posteriori; Christi scil. justitiam credentibus imputari
Quod Apostolus conceptis verbis indicat *cap. 3. v. 22.*
inquiens: justitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes
& super omnes qui credunt.

B

14. Es

14. Et quid tergiversatur Bellar. Spiritus S. propositionem : *Christi justitia nobis imputatur* : admittere, cum ipse largiatur, citato loco fidem nobis imputari ad justitiam, si fides credentib⁹ ad justitiam imputatur Christus nequaquam excluditur. In actu enim justificacnis nostrae coram Deo fides non consideratur absolute, ex sese aut propriâ suâ dignitate, quatenus est virtus quædam & opus nostrum; sed relatè respiciens unice objectum suum proprium; Christum scil. cum beneficijs nobis acquisitis, quæ ceu mendica manus donum ad se recipiens, apprehendit. *Col. 2. v. 6.*

15. Attentat equidem Bellar. respositionem hanc subuertere *Libr. 2. de justif. cap. 9.* ajens : fides quidem reputata est Abrahæ ad justitiam, sed non admittimus glossam, quod reputari fidem ad justitiam, sit nobis imputari Christi justitiam si fide illam apprehendamus. Nam glossa hæc repugnat Apostolo duas ob causas primò quia fides non est ipsa Christi justitia, id est, qua Christus justus est; sed justitia nostra, id est, qua nos justi sumus ex Dei dono. Secundò quia verbum imputare, non significat nudam significationem, sed existimationem, cui veritas in re ipsa respondet. Resp. ad 1. licet fides formaliter non sit ipsa Christi justitia; illam ipsam tamen apprehendit sibiq; appropriat, & propter illam apprehensam & appropriatam justificandi effect⁹ de fide prædicatur. Non aliter ac si annulus pretiosissimum inclusum habens adamantem centum imperialibus constare dicatur. Annulus equidem non est Adamas, quamvis ob Adamantem tanti annulus aestimetur. Et repetendum hoc loco quod Thes. præcedente dictum, fidem nimirum hac in materia non considera-

ri qua-

ri quatenus est virtus in nobis sed quatenus Christum
mundi redemptorem unicè apprehendit. Nec hinc,
quod vult Bellar. Libr. 2. de Justif. cap. 7. nos redempto-
res esse rectè infertur. Constandit namq; Christi offi-
cium, cum ejusdem fructu & utilitate ; aliud enim est,
esse redemptorem, & aliud participem fieri redemptio-
nis : prius soli Christo meritò tribuimus Esa. 43. v. 11.
à posteriori verò, Dei misericordis beneficio excludi-
nos non patimur, dicentes lètâ voce cum Apostolo ex
1. Cor. 15. v. 57. gratia sit Deo, qui dedit nobis victoriam,
per Dominum nostrum Iesum Christum.

16. Ad secundam Bellar. rationem Resp. sumere il-
lum pro confesso, quod nos minimè largimur ; scil.
imputativum idem esse, quod putativum & imagina-
tivum. Christo nostra peccata sunt imputata, quam im-
putationem scriptura emphaticè exprimit Esa. 53. v. 6.
ubi dicitur Jehovam incurrere fecisse peccata nostra ac
corundem pñnam, in ipsum Christum ; num verò im-
putatio illa est imaginaria, putativa aut phantastica ?
Negat hoc psaltes, quando Christum ob realissimam
illam peccatorum nostrorum imputationem, se à patre
derelictum esse conquerentem introducit. Psal. 22. v. 1.
Negat idem Evangelista Lucas, qui ob illam veram
verissimam Christo factam delictorum nostrorum im-
putationem servatorem nostrum sanguinis guttas e-
misisse testatur cap. 22. v. 44. Negat hoc Marcus qui
Christum peccata generis humani imputata habentem
~~meum~~ fuisse, id est doloribus undiquaq; cinctum,
perhibet, cap. 14. v. 34. adeo ut Angelus Christum Dei
filium peccata hominum gestantem corroborarit. Luc.

22. v. 43.

B 2

17. Quam

17. Quām verissimē igitur ac realissimē peccata nostra Christo sunt imputata, tam verissimē ac realissimē Christi justitia nobis imputatur. Non diffitente enim Bellar. Lib. 5 de Justif. cap. 6. Christus geminam habet justitiam, dupliciō; jure regnum cælorum possidet. primō hæreditate patris. Deinde merito passionis, altero ipse contentus est, alterum verò nobis donat. Illa autem donatio sine verissima justitiæ Christi imputatione neutiquam consistit.

18. Et quomodo quæso Bellarmine, imputatio hæc justitiæ Christi esset imaginaria, cum fundamenti loco à parte Dei patris sit ipsa divina voluntas propter Christum peccata non imputans 2. Cor. 5. v. 19. à parte ipsius Christi sufficientissima ipsius est obedientia nostro loco præstata. Empti enim sumus 1. Cor. 6. v. 20. non auro & argento, sed pretioso Christi sanguine 1. per. 1. v. 18. 19. à parte Spir. S. in & per scripturam nobiscum loquentis est verbum patefactum, quo certi reddimur, Deum proprio suo sanguine acquisivisse sibi Ecclesiam Act. 20. v. 28. à nostra verò parte est fides justitiam Christi apprehendens sibiq; approprians. Unde remissionem peccatorum habebit quisquis credit in Christi nomen Act. 10. v. 43. per Christum enim remissio peccatorum anuntiatur omni credenti Act. 13. v. 39. Rom. 10. 2. n. Gal. 3. v. 22.

19. Cum itaq; λογισμὸς sive imputatio illa, Dei patris benevolam voluntatem, Filij sufficientissimam pro peccatis nostris satisfactionem, Spiritus S. in verbo loquentis manifestam patefactionem, ac nostram fidem fundamenti loco habeat, quis illam minimæ entitatis, ut quibusdam Adversariorum loqui placet, esse affir-

affirmabit? Bellar. Libr. 5. de Amiß. Grat. & Stat. peccae.
cap. 17. ait: peccatum originale nobis communicatur
per generationem eo modo, quo communicari potest
id quod transiit; nimirum per imputationem. Num hæc
imputatio est fictitia & imaginaria? haut puto Adver-
sarium quenquam id asserturum.

20. At nondum acquiescit Bellar. replicans Libr. 2.
de Justif. cap. 7. si per Christi justitiam nobis imputa-
tam, verè dici possumus justi & filij Dei. Ergò etiam
Christus per injustitiam nostram sibi imputatam dici
potest peccator, & quod horret animus cogitare, filius
diaboli. Resp. ad 1. scriptura præeunite minimè absur-
dum est Christū dici peccatorē, non quod peccata ipse
commiserit, sed quod ea à nobis commissa in sece sus-
cepit, pro illis sanguine proprio satisfacturus Hebr. 9.
v. 12. Col. 1. v. 14. Existens enim hostia pro peccatis to-
tius mundi, ac sponsor pro genere humano factus, non
est persona innocens. Unde Psal. 40. v. 14. Christus ipse
iniquitates suas capillis capit is numerosiores esse ait.

21. Hinc cum Luth. ex commentario Epist. ad
Gal. p. 237. Christum omnium maximum fuisse pecca-
torem, ut nullus major unquam in mundo extiterit,
affirmare non erubessim⁹. Quod indicat paulus, quan-
do Christum non ἀνθρώπον sed ἀνθρώπιαν, nomine ab-
stracto pro concreto sumpto (quo loquendi genere
Hebræi superlativum gradum innuant vide Act. 24.
v. 5. Mar. 13. v. 19. Eph. 5. v. 8. confer. Buxtorf. in Synt.
p. 454.) pro nobis factum esse dicit 2. Cor. 5. v. 21.

22. Breviter: Qui à peccatis & peccatoribus fuit
separatus & ratione sui innocens & impollutus Hebr.
7. v. 26. ratione nostri, quatenus peccata ab exordio

mundi commissa, ac deinceps ad orbis usq; ~~πανολεθρία~~
Universalem committenda. Christus portat in cor-
pore suo 1. pet. 2. v. 24. proq; ijs mortuus est 1. Cor. 15.
v. 3. maximus est peccator, ratione scil. peccatorum ap-
propriatorum, ac verissimè imputatorum, non vero in hæftrè
propriorum. Et imputatio illa tam vera & realis fuit,
quam verè & realiter nos ab æterno exitio per & pro-
pter Christum sumus liberati.

23. Quæ modò dicta sunt exemplo politico illu-
strari quodammmodo possunt. Sæpe numero contingit
ut aliquis ratione suæ personæ nemini sit obstrictus,
qui tamen pro alio spondens alteri obligatur ubi valet
illud Ecclesiastici c. 8. v. 16. quod si pro alio spoponde-
ris, curam habe quasi soluturus.

24. Ad secundam Bellar. rationem Respondemus
provocando ad Spirit. S. in scriptura nobiscum lo-
quentis perpetuam consuetudinem. Filius enim Dia-
boli & Belial in scriptura, non is dicitur qui aliena pec-
cata per verissimam imputationem & appropriatio-
nem facit sua; sed qui ipse in peccatis contra conscienc-
iam malitiosè, data opera nefariè & petulantissimè
perseverat. Deut. 13. v. 13. 1. Sam. 2. v. 12. 1. Joh. 3.
v. 9. 10.

25. Quod adeo verum est, ut, quamvis infantes in
peccatis concipientur & in lucem cum ihsdem edan-
tur; non tamen filij Diaboli (qua appellatione studi-
um sive conatum malitiosum peccaudi innui, quo in-
fantes carent, modò dictum est) sed filij iræ appellen-
tur Eph. 2. v. 3. Licet itaq; Christus peccata nostra in
se suscipiens, peccator (ratione imputationis, non
vero in hæftris) scriptura sacra prævia dici possit; ab-
sit

sit tamen procul ut cogitemus, ne dum dicamus, Christum sanctum illum sanctorum *Dan. 9. v. 24.* & filium Dei unigenitum *Ioh. 1. v. 18.* ac dilectum *Mat. 3. v. 17.* spurcissimi istius spiritus filium appellari potuisse. Et hactenus argumentum sententiae nostrae secundum consideravimus, sequitur tertium.

26. 3. *Ex justitiae legalis & Evangelicæ oppositione ac operum nostrorum ex justificationis articulo exclusione.* Argumentum esto ejusmodi: *Quicquid opponitur justitiae legali nobis inhærenti, id nobis non inhæret nec infunditur.* At justitia in articulo Justificationis opponitur justitiae legali nobis inhærenti. Ergo justitia illa nobis non inhæret. Minor quæ continet *κειμένων* probatur *ex phil. 3. v. 8. 9.* ubi emphaticis verbis Apostolus inquit: *ut reperiar in Christo, non habens meam justitiam ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi.* Ad quem Apostoli locum respiciens *B. August. in Medicat. cap. 14.* ait: *omnis spes & totius fiduciae certitudo mihi est in pretioso sanguine Christi qui effusus est propter nos & nostram salutem.* In ipso respiro, & in ipso confusus ad Deum pervenire desidero non *habens meam justitiam, sed eam quæ est ex filio Dei domino nostro Iesu Christo similis justitiae legalis & Evangelicæ oppositio videre est.* *Rom. 9. v. 30. cap. 10. v. 3. Gal. 2. v. 21.*

27. Conatur equidem Bellar. *Libr. 5. de Justif. cap. 5.* argumentum hoc enervare dicendo, Apostolum loqui de justitia fidem & gratiam Dei præcedente. Verum qui textum vel obiter aspicit, glossæ hujus fastitatem deprehendit. Apostolus enim in quo per fidem Christus vivebat. *Gal. 2. v. 20. de se in præsenti loquitur:*

non

non habens meam justitiam ex lege. Item habeo pro rejectamentis, ut Christum lucrifaciam. Indicat itaq; Apostolus Romæ vinculis ligatus *Phil. 1. v. 13. 14.* quæ tum temporis sua coram Deo fuerit justitia.

28. Nec hoc loco solum opera fidem sequentia à justificationis circulo excluduntur, sed & alibi idem facit scriptura. vide *Gal. 2. v. 16.* ubi disertis verbis dicitur: nos in christum *credidimus* ut justificare-mur ex fide Christi & non ex operibus legis. Nam & opera quæ sunt in justitia, id est homine renato à justificatione removentur *Tit. 3. v. 5.* Unde August. eleganter inquit in *Medit. cap. 20.* sanctam societatem, tuam & mirabilem pulchritudinem tuam, non per meritum requireo, sed per sanguinem ejus quo redemptus sum adipisci non despero. Et qui credit in filium habet vitam æternam *Joh. 5. v. 24.* per fidem enim custodimur ad salutem æternam. 1. *Pet. 1. v. 5.* Vitæ enim æternæ promissio non in operibus fidem licet sequentibus fundatur, sed in solo Christo possidetur. 2. *Tim. 1. v. 1. c. 2. v. 10.* Et hæc de tertio sententiæ nostræ fundamento, pro ratione instituti, dicta sufficiant.

29. 4. *A justificationis nostræ conditione & requisitis.* Argumentum sit tale. Quo coram divina & tremenda majestate Dei justificamur, id est perfectum & indebitum. At justitia nobis inhærens non est perfecta & indebita. Ergo illa justitia non justificamur Major sua luce radiat. perfectus enim effectus perfectam præ-supponit causam. Minor scripturæ monumentis probatur vide *phil. 3. v. 12.* *Luc. 17. v. 10.* Hinc sancti Dei vi-ri imperfectionem suam agnoscentes, ne Deus juxta rigorem justitiae secum agat, humiliter petunt *Psal. 143.*

v. 20

v. 2. Debitores enim se esse palam, profitentur Rom. 8.
v. 13. Dicunt ergo cum B. Augusti ex Medit. cap. 17. tibi
omne debemus, quod possumus, omne quod vivimus
omne quod sapimus. Quando vero id solvo quod ali-
as debo, inde nihil promereor. Quod proverbium
Germanicum egregie exprimit: **Schult bezahlet keine
Schult.**

30. 5. *A remissionis peccatorum nostrorum descriptione.*
Si peccatorum nostrorum remissio, non est totalis eo-
rundem deletio, aut extirratio, sed tantum ignoscen-
tia sive indulgentia Dei, peccata tegentis & ad damna-
tionem, ob Christi meritum fide apprehensum, non
imputantis. Ergo justitia qua coram Deo justificamur
non est nobis inhærens. At prius est verum vi locorum
Rom. 4. v. 7. 8. Psal. 32. v. 1. Psal. 85. v. 3. Neb. 4. v. 5. Ergo
& posterius. Inde jam justificati peccatorum residuo-
rum somitem & naturæ vitiositatem agnoscant vide.
Rom. 7. v. 14. & seqq. quamvis peccata illa residua, ut
pote propter Christi meritum condonata & remissa,
non damnent.

31. Connexio Majoris inde evidens est, quod mu-
tuu inter se pugnant, peccatorum maculas in justifica-
tis manere, & justitia inhærente eosdem justificari.
quod ipsi adversarij non dissentunt, qui ut argumen-
tum nostrum enervent, aliud querunt latibulum scil.
remissionem peccatorum esse totalem eorundem abla-
tionem. vere enim & in reipsa quoad entitatem suam
tolli peccata, sic tegi, sic non imputari, ut revera ab a-
nima sublata sint, in ea non residua. Quod probant ex
Joh. 1. v. 29. Psal. 51. v. 9. Esa. 1. v. 16. Mich. 7. v. 18. 19. Et
August. qui in enarrat. 2. Psal. 31. duos modos tegenti

C

vul-

vulnera cōstituat primō enim tegi vulnera à Medico.
secundò à vulnerato. vulneratus, inquit, tegit ea pal-
lio, non tollit. Medicus emplastro tegit & tollit. Deus
ergo tegat non tu, nam si tu tegere volueris erubesces,
medicus non curabit; medicus tegat & curet, empla-
stro enim tegit. Sub tegmine Medici sanatur vulnus,
sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Hæc Angust.

32. Pro defendendā autem veritate ad singula re-
spondendum. Ad 1. ex Job. 1. v. 29. si tollere peccata,
est plane quoad entitatem suam auferre ergo mun-
dus (quæ vex hoc loco omnes in mundo homines,
impijs non exclusis notat. conf. Job. 3. v. 16.) nulla am-
plius habet peccata. Et ipsi pij plane erunt *ἀπαγέγνωται*.
Quod, cum à veritate sit alienum dicendum est, qua-
ratione Christus mundi peccata tollat, nimirum *λύσεις*
καὶ πλάνης pro eodem solvendo. Matt. 26. v. 28. 1. Tim.
2. v. 6. ac sufficienter satisfaciendo Hebr. 1. v. 3 c. 7. v. 27.
iramq; Dei placando 1. Thes. 1. v. 10. non verò totaliter
quoad entitatem suam eradicando, ac penitus extir-
pando. Annon enim Christus sustulit peccata pauli?
affirmandum utiq; cum pro ipso sit mortuus. Gal. 2.
v. 20. & tamen paulus peccatum in se habitare, seq; sub-
peccatum venundatum esse conqueritur Rom. 7. v. 14.
20. imò omnes pij peccata sua per Christum ablata esse
firmiter statuentes, tamen ex Johannis Epistola c. 1. v. 8.
quotidie ingeminant: si dixerimus peccatum non ha-
bemus nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.

33. Tollere itaq; peccata non est plane & penitus
auferre, adeo ut nulla peccati macula amplius maneat
residua. Melioris autem intelligentiæ ergo canonem
repetimus theologicum: *verba collendi & delendi de pec-
catio*.

carū usurpata scripturæ phrasī, vel universalem Christi satisfactionem: vel particularem credentibus collaciam peccatorum annihilationem, aut totalem seu omnimodam è subjectis expulsivis notant.

34. Ad 2. locum ex *Psal. 51. v. 9.* Resp. pīj mundantur hyssopo & præ nive albescunt, quando benignus Jehova illorum miseretur, peccata per & propter Christum verissimè remittendo. *Acto. 13. v. 38.* & ad vindicandum non videndo. *Num. 23. v. 21.* Hoc itaq; loquendi mēdo non totalis peccatorum absentia, sed plena & verissima corundem remissio sive condonatio indicatur. Tam verè enim & realissimè peccata in Christum credentibus, condonantur, ac si nulla amplius macula supersit. Responsionis hujus veritas ex. *v. 11.* allegati psalmi confirmatur. David enim se à peccato mundari rogans, ait: absconde sive averte faciem tuam à peccatis meis. Si nulla in Davide peccata fuissent reliqua, cur tam sollicitè Deum rogasset ut faciem suam absconderet seu averteret. Quod planè tollitur & abest ab illo propriè loquendo non avertō faciem. verum quod adest ab illo faciem avertēre possum; ne scil. illi⁹ fæditas conspiciatur. Hoc sensu sponsa Christi in Canto canticorum c. 1. v. 6. inquit: ne respiciatis ad me, quod sim sub nigra si Christi sponsa nullo modo fuisset subnigra. Hæc petitio ad filias Jerusalem directa fuisset nullæ. Quia itaq; David a peccatis suis mundatus petit tamen ut Jehova faciem suam à peccatis avertat, inde indubitatò colligere est, peccata quidem verè fuisse remissa, sed corundem maculas ac fæditates mansisse reliquas.

35. Ad 3. locum ex *Esa. 1. v. 16.* Resp. pios mundari, quia fide corda illorum purificantur *Act. 15. v. v. 9.*

sanctificati itaq; per fidem *Aet. 26. v. 18.* & sanguine Christi à peccatis suis loti *Apoc. 1. v. 5. c. 7. v. 14.* mundi sunt. *Joh. 13. v. 10.* ita tamen ut carnis vetustas in illis maneat reliqua. Unde ipsi renati adhuc ex parte carnales sunt *i. C. 3. v. 3.* adeo ut bellū *αγνούσιον* inter carnē & spiritū sit *Gal. 5. v. 17.* Hoste planè subjugato cessat pugna, dicente enim poeta: pugna suum finem, cum jacet hostis habet. Cum ergo homini renato seu credenti perpetuò contra peccatum ac carnis vitiositatē sit luctandum, indè immotè, peccata non planè quoad entitatem suam in reipsa tolli inferimus.

36. Ad locum scripturæ 4. ex *Mich. 7. v. 18. 19.* desumptum. Resp. Deum peccata auferre, & in maris profundum abijcere, dum illa ignoscit ac maculas nobis inharentes reliquas justitiæ Christi veste tegit. Id scriptura indicat, dum renatos ac credentes Christum induere ait *Ro. 13. v. 14 Gal. 3 v. 27.* Tunica hac justitiæ Christi induit *Esa. 61. v. 10.* non reperiemur nudi *2. C. 5. v. 3.* nec apparebit dedecus nuditatis nostræ. *Ap. 3. v. 18.* veste vero hac nuptiali carentes *Mat. 22. v. 12.* nudi ambulabimus & turpitudino nostra spiritualis omnibus erit obvia *Ap. 16. v. 15.*

37. Hæc jam dicta ut eò melius intelligantur notandum Theologos peccatum considerare, vel in prædicamento qualitatis, materialiter scil. quatenq; est vitiositas quæpiam & àrouia, vel: in prædicamento relationis, formaliter, quatenq; ad damnationē obligat. posteri respect. peccata in verè credentib; ac renatis reipsa affruntur, ac in maris profundū abiiciuntur, adeo ut nulla damnatio sit in illis qui sunt in Christo Iesu *Ro. 8. v. 1.*

38. Ut vero relationibus extinctis sæpe manent fundamenta; ita damnatione in pijs sublata, vitiositas tamen quæpiam legi divinæ per se repugnans relinquuntur.

tur, attestante hinc inde scripturā & piorum propria experientia. Quia tamen peccata credentibns in Christum verè sunt remissa, tecta, nec illis imputantur, ideo ablata esse & abjecta dicuntur. Nam remissio peccatorum nostrorum tam vera & solida est, ac si nulla macula fæditas aut vitiositas homini amplius inesset.

39. Si quis hisce non contentus argumentum informa exstrueret & ad formam responderi sibi posceret, hoc modo: *Quicquid auferitur & in profundum maris abiicitur, illud non manet.* At peccatum in credentibns auferitur & in profundum maris abiicitur. Ergo peccatum non manet. Resp. ad Majorem, peccata qua ratione auferuntur & in profundissimum maris projiciuntur, illo modo nequaquam manent; reatus enim damnans planè & plenè à persona justificata tollitur, ac peccatum tam verè credenti condonatur, ac si nulla carnis vetustas remaneret. *Nihilominus* tamen in ipsis renatis carnis vetustas spiritui resistēs relinquitur, ob quam vident quidem meliora, sed deteriora sæpius sequuntur. *Rom. 7. v. 23.* Nulla itaq; in argumento est consequentia, quando ita infero: peccata credentib⁹ plenè remittuntur, & reatus damnans à persona reconciliata planè tollitur. Ergò nulla in eadem peccatorum macula residua. Nam à perfecta peccatorum remissione, omnimodam eorundem absentiam eradicationem, extirpationem inferre velle inconsequentia est fædissima; quia scriptura sacra prius affirms; posterius autem negat, ut hactenus probatum esse arbitramur.

40. B. Augustinum quod attinet, Deum peccata ita tegere ut & simul tollat, affirmātem Resp. id nos dextra sensu scripturæ conformi largiri; scil. ratione plena-

titia remissionis & condonationis, ob perfectissimam
Christi satisfactionem vera fide apprehensam. Deum
autem peccata ita verè & realiter tollere in antecedenti-
bus satis superq; expositum. pessima vero sequela est:
Deus peccata perfectè & plenè remittendo ob Christi
satisfactionem sufficientissimam tollit; itaq; nulla car-
nis fæditas homini manet residua? Id si sensisset B. Aug.
cur passim in suis scriptis inquit peccatum quamdiu vi-
vis in membris tuis necesse est ut sit, saltem illi regnum
auferas vide Aug. Tract. 41. in Joh. Item: carnis deside-
ria in nobis sunt extinguenda. Item: quotidiana pecca-
torum indigemus remissione &c. Unde liquet B. Aug.
adversariorum partibus non patrocinari. Conf. eun-
dem libr. de Nat. & Grat. cap. 30.

41. Veritas autem hæc scripturarum monumentis
confirmata, argumento philosophico à contrariorum
natura desumpto non convellitur. Quamvis enim in
physicis mutationibus requiratur, ut qualitate una in
gradu excellenti & summo præsente, altera ejusdem
gradus removeatur, attamen id de gradu remisso ac re-
fracto verum non est, ut exempla testantur: datur enim
crepusculum, aqua tepida, color fusc⁹ &c. ubi lucis & te-
nebrarum, caloris & frigoris, nigredinis & albedinis in
uno subjecto datur concurs⁹ & communio. Non itaq;
procedit illatio: peccati & justitia sunt contraria præ-
sente ergo justitia, peccatum materialiter consideratum
ratione maculæ & vitiositatis à gratia & justitia tāquam
à contrario suo verè quoad entitatem suam expellitur,
adeo ut nulla vitiositas sive naturæ corruptio supersit.

42. Expellitur enim peccatum à gratia & justitia
ratione gradus excellentis, qui enim ex Deo natus est,
pecca-

peccatum non committit, & non potest (studio scil. ex proposito, voluntariè, malitiosè, cum delectione & conatu) peccare i. Joh. 3. v. 9. non vero ratione gradus remissi, cum post Baptismum peccatum, debilitatum licet & refractum, cui prij Spir. S. auxilio resistere possunt relinquatur. ut inter alia multa piorum de infirmitate humana & quotidianis lapsibus crebræ testantur querelæ vide Rom. 7. v. 24. Atq; hæc de quinto sententiae nostræ argumento dicta sunt.

43. 6. *A. justificatorum exemplis*, utpote publicani & latronis in cruce, qui justificati sunt gratis, sine justitia aliqua infusa & inhærente quippe qua carebant. Quæ enim Latronis hominis sceleratissimi, ob peccata externa & crassa ad supplicium tracti, & in ipso crucis supplicio primum conversi ac mortui justitia esset inhærens, qua coram Deo justissimo potuisset declarari justus? Quæ itidem publicani hominis injustissimi infusa esset qualitas, quæ coram Deo subsistere, rigidoq; illius iudicio opponi potuisset? nulla inquam, nulla. Unde uterq; non ad suam ipsius justitiam sed solam Dei misericordiam in Christi morte fundatam confugit vide Luc. 18. v. 13. cap. 23. v. 42.

44. Quæ hæc tenus ex Scriptura dicta sunt, justificationem scil. nostram in justitia nobis inhærente & infusa sitam non esse, sed solum in Dei misericordia ac Christi sufficientissimâ satisfactione vera fide apprehensa unicè, unicè inquam, fundari, adeo ut in justificationis nostræ articulo, gratia Dei in Christi merito radicata & sacramentis oblata ac confirmata, & vera fide applicata, excepta, nil amplius requiratur; absit tamen, imò longissime absit à nobis super quos Christi nomen invocatum est Act. 15. v. 17. Jac. 2. v. 2. ut propterea in diem vitam transfigendam esse doceamus, ac lasciviz, concupiscentiaz aliisque illicitis voluptatibus.

voluptatibus 1. Pet. 4. v. 3. nos marcipemus. Memores
potius admonitionis paulinæ Tit. 3. v. 11. abnegata impietate,
sobriè (ratione nostri) justè (ratione proximi) piè (ratione
Dei) vivamus. De quo pauli loco insigni, distichon usurpamus
notum:

Hac tria perpetuo meditare adverbia pauli

Hæc tria sint vita regula certa tua.

Liberati namq; Dei misericordis beneficio, ab hostibus nostris
spiritualibus, in sanctitate & justitiâ Deo serviendum Luc. 1.
v. 74, 75. Id autem, quantum humana admittit fragilitas, facien-
tes; nil tamen apud Deum promereri nos fatemur, cum debi-
tum tantum gratitudinis & novæ obedientiæ, ob creationis, re-
demptionis sanctificationis, sustentationis, aliaq; immensa nobis
collata Dei beneficia persolvamus. Et ita quidem ut obedientia
& gratitudo nostra Dei beneficijs par non sit; humili enim men-
te agnoscendum, nos ne millesimam quidem beneficiorum di-
vinorum partem gratitudine nostra æquare, quomodo itaq; ob-
edientia illa multis partibus & modis imperfæcta aliasq; debita
coram Deo justissimo, obedientiam omnibus numeris absolu-
tissimam exigente, nos justificaret ac inæstimabile illud donum,
vitam æternam, promeretur?

45. In Christo scriptura universa teste, non autem in nobis,
aut nostra inhærente justitia hanc vitam possidebimus 1. Job. 5.
v. 11. 12. 2. Tim. 2, v. 10. ille enim solus nobis causa est salutis æ-
ternæ Hebr. 5. v. 9. cum innullo alio alias sit salus nec aliud nomen
sub cælo datum, in quo nos salvos fieri oporteat Act. 4 v. 12. Con-
cludimus igitur disputationem hanc dicto Augstini ex Manual.
cap. 21. 23. copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu
Christi salvatoris nostri, quare inter brachia salvatoris mei & vi-
vere volo & mori cupio.

COROLLARIUM.

An in ipsa re Ecclesiarum nostrarum, ut Bellar. àr Libr. 2. de
Justif. cap. 1. de causa formalis justificationis nostræ coram Deo opinio-
num sit confusio, ut de veritate reperienda, non sine ratione
desperemus & Negamus.


Soli Deo gloria.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739722816/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739722816/phys_0027)

DFG



peccatum non committit, & non potest (stū proposito, voluntariè, malitiosē, cum delectatu) peccare i. Job. 3. v. 9. non vero ratione missi, cum post Baptismum peccatum, debil & refractum, cui pīj Spir. S. auxilio resistere linquatur. ut inter alia multa piorum de infi manā & quotidianis lapsibus crebræ testam vide Rom. 7. v. 24. Atq; hæc de quinto se stræ argumento dicta sunt.

43. 6. *A. justificatorum exemplis*, utpote pul tronis in cruce, qui justificati sunt gratis, sine qua infusa & inhærente quippe qua carebant Latronis hominis sceleratissimi, ob pena & crassā ad supplicium tracti, & in ipso critio primum conversi ac mortui justitia esse qua coram Deo justissimo potuisset declarare. Quæ itidem publicani hominis injustissimi qualitas, quæ coram Deo subsistere, rigidoq; cito opponi potuisset, nulla inquam, nulla. Unde non ad suam ipsius justitiam sed solam Deum in Christi morte fundatam confugit v. 13. cap. 23. v. 42.

44. Quæ hæc tenus ex Scriptura dicta sunt, jū scil. nostram in justitia nobis inhærente & infusa sita sed solum in Dei misericordia ac Christi sufficienti atione vera fide apprehensa unicē, unicē inquam, su ut in justificationis nostræ articulo, gratiā Dei in C. radicata & sacramentis oblata ac confirmata, & ve cata, excepta, nil amplius requiratur; absit tamen, in me absit à nobis super quos Christi nomen invocatu v. 17. Jac. 2. v. 7. ut propterea in diem vitam tr esse doceamus, ac lasciviaz, concupiscentiaz aliis




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. . . .